

De forma licentiarum, & laureandi per Episcopum, ejusdem Civitatis.

S. 6. Auctoritate Apostolica statuente, ut quoties aliqui in eadem Theologica facultate, in eodem Studio fuerint magistrandi, presententur Episcopo Bononiensi, qui pro tempore fuerit, vel ejus, sufficienti tamen, & idoneo, quem ad hoc idem Episcopus dixerit specialiter deputandum, seu Ecclesia Bononiensis Pastore carente, dilectorum filiorum Capituli ipsius Ecclesie, qui erit pro tempore, Vicario generali, qui omnibus magistris dicte facultatis Theologicae, in qua hujusmodi examinatio fuerit facienda in Studio ipso actu regentibus, presentibus convocati, eos gratis, pure, & libere, ac omni dolo & fraude ac difficultate cessantibus, de scientia, facultate, modo legendi, & aliis quae in promovendis ad Magisterii honorem in facultate praedicta & ejus officium requiruntur, examinare studeant diligenter, & illos, quos idoneos reperierit, petito secrete, pure, ac bona fide eorundem magistrorum consilio (quod utique consilium in ipsorum consensu, dispendium & iacturam, sub debito juramento super hoc prestando, cum ab Episcopo seu Vicario ac singulis magistris hujusmodi revelari, quomodolibet districtus prohibemus) approbet & admittat, eisque petitam licentiam largiatur, & alias minus idoneis postpositis, gratia, odio, vel favore, nullatenus admittendo, super quibus Episcopi, Magistrorum, & Vicarii praedictorum conscientiam oneramus.

Dodorum facultates.

S. 7. Volentes quod illi, qui in praefato Studio magistrati fuerint in facultate praedicta in eo, & in aliis generalibus Studiis dicte facultatis legendi & docendi, absque approbatione alia liberam habeant facultatem.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum apud Villam Novam Avinionensis Diocesis, XI. Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Dat. die 21. Junii 1360. An. VIII.

URBANUS V.

PAPA CC.

ANNO DOM. MCCCLXII.



Die 28. Octobris anno 1362. Electus est in summum Pontificem Guillelmus Grimoardi Abbas S. Victoris Massiliensis, qui Urbanus V. nuncupari voluit. Consecratus die 6. sequentis Novembris sedit in Pontificatu a die Coronationis annos VIII. Mens. I. dies XIV. imperantibus in Oriente Joanne Palaologo, in Occidente vero Carolo IV. Imperatoribus. Obiit Avinione die 19. Decembris 1370. & sepultus est in Ecclesia majori Avinionensi in Capella Joannis XXII. Vacavit Sedes dies XI.

In-

I.

Ex Regest. Paris. editit Wgoll. Ital. Sac. ubi de Ecclesia Patavina.

Institutio Studii Generalis in Civitate Patavina etiam in facultate Theologica.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Praemium.

Sane dum fructus uberes, quos Studium Paduanum, quod longis temporibus in se ipso, sicut praefulgida Stella emicuit, & diffusa claritate longe late resulxit in jure canonico, & civili, & liberalibus artibus, tamquam ager plenus, cui Dominus benedixit, copiosa fertilitate produxit hactenus, & producit cum delectatione animi recensemus, & exinde speramus ipsius Theologiae palmitem, si illius studium esset ibidem, amplius prorogari. Dumque fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam dilecti filii Universitatis Studii Paduani, & Cives Civitatis ejusdem nostri, & Ecclesie Romanae devoti, ad Nos, & dictam Ecclesiam habuerunt hactenus, & habere noscuntur diligenter attendimus, dignum ducimus, & aequitati congruum existimamus, ut Civitas, & Universitas praedictae, quas divina gratia magnis donis, & gratiis illustravit, ac honorum multiplicium fecunditate dotavit, & loci amenitate non modica decoravit, hujusmodi scientiae Theologicae facultatis muneribus amplietur. Ideoque eorundem Studentium inibi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod in dicta Civitate deinceps Studium generale in eadem Theologica facultate existat, & perpetuis futuris temporibus vigeat: ac docentes, & Studentes ibidem in facultate praedicta omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis docentibus, & Scholaribus studentibus in studiis generalibus ejusdem facultatis commorantibus, gaudeant, & utantur. Volumus tamen, quod ad docendum, & regendum in ipso Studio in hujusmodi facultate Magistri & Baccalarii, qui in Parisiensi, seu aliis famosis Studiis ejusdem facultatis honorem Magisterii, seu Baccalaureatus receperunt, & alias experti, & idonei in hujusmodi Studio Theologicae facultatis noviter assumantur.

Institutio, de qua in rubrica.

Scholarium, Magistrorumque Privilegia.

Cetera consilio orati & cetera omnia verbotenus sunt ac in Constitutione X. Innocentii VI. pro Universitate Bononiensi pag. 323.

Dat. die 14. Aprilis 1363. An. I.

Datum Avinioni XVIII. Kalendas Maii Pontificatus nostri anno I.

II.

Privilegium Ordinis Cartusianorum utendi Altare portatili pro celebratione Missarum in locis ad Ordinem spectantibus.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Priori Domus Cartusiae Gratianopolitanae Diocesis, ac Prioribus Prioratum & domorum aliarum, ceterisque personis Cartusienis Ordinis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Sinceram devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam geritis, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis praefertim, quas ex devotionis zelo prodire conspiciamus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

S. 1. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut liceat vobis, & successoribus vestris habere Altaria portatilia cum debita reverentia & honore, super quibus in domibus, ac grangiis, & cellariis, & aliis locis congruentibus & honestis, ad domos, seu Prioratus vestros spectantibus, possitis Missam, & alia divina officia celebrare, & in vestra praesentia facere celebrari, devotioni vestrae, tenore praesentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, inhibitionum, concessionum, & mandatorum infringere &c.

Dat. Aven. VII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno I.

Exordium.

Privilegium, de quo in rubrica.

Clausula.

Dat. die 29. Aprilis 1363. An. I.

III.

Jurisdicchio Camerarii S. R. E. procedendi, contra piratas, nova pedagia imponentes eaque perpetrantes, quae in Bulla in Cena Domini vetantur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Arnoldo Archiepiscopo Auxitano Camerario nostro Sal. & Apost. Bened.

Apostolatus officium, cui quamquam immeriti disponente Domino praesidemus, exposcit, ut contra praesumptuosam malignorum turbam, Apostolicae Sedis sententias, & canonicas non verentium sanctiones exequutores justitiae optimos, quantum cum Deo possumus studiose apponamus.

S. 1. Olim siquidem felices recordationis Bonifacius Papa VIII. praedecessor noster, eos qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis pro eorum rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia, seu gvidacia, suo vel alieno nomine exigere vel extorquere, si persona existeret singularis, cujuscumque foret

Praemium.

Bonifacius VIII. ab Ecclesiasticis pedagia prohibere exigit.

foret dignitatis, conditionis, vel status, excommunicationis, si autem Collegium vel Universitas Civitatis, Castris, seu loci alterius cuiuscumque, interdicti sententias incurtere voluit ipso facto, & quod ab excommunicatione praedicta absolutionem, vel interdicti relaxationem obtinere non possent, donec exacta plenarie restituerent, & de transgressione satisfacerent competenter.

§. 2. Ac deinde per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros, & postremo per nos, in omnes piratas, cursarios & latrones marinos, & omnes fautores, receptatores & defensores eorum, & insuper in omnes illos, qui in terris suis nova pedagagia imponunt: ac etiam in illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus Christianos impugnant: praeterea in omnes illos, qui ad Sedem Apost. venientes vel recedentes ab ea, necnon illos, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in Romana Curia morantur, temeritate propria capere, detinere vel spoliare, aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter, vel interficere praesumunt, & qui victualia vel alia bona ad usum Romanae Curiae necessaria, impediunt, ne ad Sedem praedictam deferantur, & qui talia fieri faciunt sive mandant, ac alios qui scienter eis favent vel receptant aut defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, praerogativa & conditionis, ac status, etiam si Pontificali vel quavis alia Ecclesiastica vel mundana praesulgeant dignitate. Et in illos, qui per se vel alium, seu alias quas cumque personas Ecclesiasticas, & seculares ad eandem Curiam superiorum causis & negociis recurrentes, illaque in Romana Curia prosequentes, vel procuratores, gestores, advocatos, promotores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices, qui supra dictis causis, vel negociis deputantur, vel de eadem Romana Curia recedentes, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi verberent, mutilent, vel occidant, vel bonis spoliarent eorundem, cuiuscumque praerogativa, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status fuerint, etiam si Pontificali vel quavis alia praesulgeant dignitate, vel eorum aliquod committentes. Item in omnes illos, qui per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, civitates, castra, villas, ac loca, & jura quaelibet alia ipsius Ecclesiae Romanae, vel aliqua, seu aliquas eorum, aut ipsorum vel aliquorum, seu alicujus ipsorum partem, videlicet, Comitatum & Civitatem Avenionem. & ejus territorium ad ipsam Ecclesiam pertinentem, & scienter occupant, vel detinent occupata, excommunicationis & anathematizationis sententiae in certis anni solemnitatibus promulgatae fuerunt, prout in nostris, & ipsorum praedecessorum literis plenius continetur.

Aliique Pontifices hic nominatos anathemati subicere.

Omnes hinc praesentibus excommunicari solent in Bulla in Carta Dominici.

Multos dicit Urbanus his legibus non obedere. adjectis quoque penis nullo in pretio habitis.

§. 3. Cum autem sicut accepimus, nonnulli, a quorum oculis Dei timor abscissit, praedictas sententias non verentes, a praemissis Clericis & Ecclesiasticis personis, huiusmodi pedagagia, seu guidagia, pro huiusmodi eorum rebus propriis, quas non negociandi causa dese-

runt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, exegerunt & extorserunt hastenus, & exigere & extorquere quotidie moliantur, & nonnulli pravitate piraticam exercere: Alii vero venientes ad praedictam curiam, & recedentes ab ea capere, vel retinere, vel spoliare: Necnon victualia, & alia ad usum Romanae Curiae necessaria, ne ad praefatam deferantur Curiam, impedire, & nonnullos alios ex excessibus supra praedictis committere. Et insuper privilegia, per Sedem Apostolicam clericis, & personis Ecclesiasticis, ac praedictam Curiam sequentibus concessa, & canones, constitutiones, & consuetudines in ipsorum curialium favorem praesertim officialium, & familiarium nostrorum, praesertim in praedictis propriis eorum rebus ad praedictam Curiam deferendis diutius observatas, violare temere praesumpserunt hastenus, & praesumunt, in animarum suarum periculum, Apostolicae Sedis contemptum, & praerudicium, & scandalum plurimorum.

§. 4. Nos itaque contra praesumptiones huiusmodi, quas non decet, nec expedit incorrectas dimitti, salubre apponere remedium cupientes, Fraternitati tuae, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, tam in Romana Curia quam alibi, ubicumque, & quotiescumque tibi expedire videbitur, praedictas tam a iure, quam ab homine latas sententias, debite executioni demandetis, easque necnon canones, privilegia, & consuetudines supra praedictas, facientes ubique auctoritate nostra inviolabiliter observari, & ubi opus fuerit publicari, ac declarationem publicam, nunciationem, & citationem omnium, & singulorum, qui in praedictas sententias inciderunt, etiam per edictum publicum affigere de mandato tuo in portis Sacri Palatii Apostolici, & valvis Ecclesiae Avenionensis, & alias in ipsarum sententiarum executionem, & aggravationem, & alias omnia, & singula supra praedicta, tam generaliter quam specialiter, vel nominatim, eadem auctoritate procedas, etiam per informationem simplicem summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, prout facti qualitas exegerit, & ubi secundum Deum, & iustitiam videbitur faciendum; ac eorum, necnon fautorum, receptatorum, & defensorum dictorum piratarum, cursariorum, & latronum colorum marinarum, Civitates, Terras, Castra, & loca supponas Ecclesiastico interdicto. Contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque praerogativa, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Pontificali, vel quavis alia, ecclesiastica, vel mundana praesulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Camarario itaque ut extra eos procedat injungit.

Obstantium decogatio.

§. 5. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem vel Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis evocetur, seu quod iudices a Sede Apostolica deputati extra Civitatem, & Dioecesim, in quibus

bus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel alii vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesium earundem trahere praesumant, & de duabus dietis in Concilio generali; quam alii quibuscumque Constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis edictis, quae tunc possent in hac parte jurisdictioni, aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu qui praefatis, vel quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Pontificali, vel alia quavis dignitate praesulgeant, a dicta Sede indultum existat, quod extra, vel ultra certa loca ad iudicium evocari, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut eorum Ecclesiae, Monasteria, Civitates, Terrae, Castra, & loca ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, & earum personis & locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam tuae jurisdictioni in hac parte valeat quomodolibet esse tum impedire, & de qua ejusque toto tenore habenda sit de verbo ad verbum in nostris literis mentio specialis, plenam, & liberam eidem Fraternitati tuae concedimus, tenore praesentium facultatem. Volentes & decernentes, quod citationes, quas in praemissis per edictum, ut praemittitur feceris, perinde valeant, ac citatos ardeant, ac si eis personaliter insinuate & intimatae fuissent, Constitutione quacumque contraria non obstante.

Dat. die 12. Octob. 1363. An. L.

Datum Avenione quarto Idus Octobris, Pontif. nostri anno I.

I V.

En Reges. in Arabis. Fatis. Judaeos molestantes, seu alias ipsis injurias quomodolibet inferentes, aut ad recipiendum Baptismum compellentes Excommunicationis poena plectuntur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, Universis Christianis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Sicuti Judaeis non debet esse licentia in Synagogis suis, ultra quam permittum est eis lege praesumere; ita in iis, quae concessa sunt ipsis, non debent praerudicium sustinere.

§. 1. Licet igitur praefati Iudaei in sua velint magis duritia perdurare, quam Prophetarum verba, & suarum scripturarum, arcana cognoscere, atque ad Christianae Fidei, & salutis notitiam pervenire; quia tamen christianae pietatis mansuetudinem in-

terpellant; Nos felicium Recordationum, Calixti, Eugenii, Alexandri, Coelestini, Innocentii, Gregorii, Nicolai, Honorii, & Nicolai Quarti, ac Clementis Sexti Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, ipsorum Judaeorum petitiones admittimus; statuentes, ut nullus Christianus Judaeos eosdem invitos, vel nolentes ad Baptismum per violentiam pervenire compellat: Sed si quis eorum sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas ejus patefacta fuerit, efficiatur absque aliqua calumnia Christianus: Veram, quippe Christianitatis Fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptisma non spontaneus sed invitatus cognoscitur pervenire.

Nemini Judo Baptismus per vim inferatur.

§. 2. Nullus etiam Christianus eadem Judaeorum personas sine iudicio Domini Regionis, Civitatis, seu Terrae, in qua inhabitant, vulnerare, aut occidere, vel suas illis pecunias auferre praesumat, nec fustibus, aut lapidibus, aut alias eos perturbet, nec ab eis aliquis coacta servitia exigat, nisi ea quae ipsi praeteritis temporibus consueverunt facere seu praestare.

Nec vis ulla fiat aut damnatio.

§. 3. Ad hoc malorum hominum praevitati, & avaritiae obviantes decernimus, ut nemo Cimiterium Judaeorum mutilare, vel minuire audeat, sive obtentu aliquo effodere corpora jam humata.

Eorum Cimiteria non inquietentur.

§. 4. Si quis autem Decreti hujus tenore cognito temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris, & officii sui periculum patiat, aut excommunicationis ultione plectatur nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit; illos autem Judaeos dumtaxat huiusmodi genere praesidio volumus communitari, qui nihil machinari praesumpserint insubversionem Fidei memora.

Poenae hinc benedictionum.

Datum Avenione Nonis Junii Pontificatus nostri anno Tertio.

Dat. die 7. Junii 1363. Anno III.

V.

Cassinensis Ecclesia olim in Episcopalem crecta iterum Abbatialis restituitur. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

En Margariti. Bullar. Cassinens. Par. II. pag. 81.

Romanus Pontifex Beati Petri celestis clavigeri Succesor, & Vicarius Jesu Christi ex supernae providentiae Majestatis in supremae specula dignitatis constitutus curam Ecclesiarum, & locorum ecclesiasticorum commodum, prout ex debito eidem incumbit Pastoralis officii, diligenter prospicit, & intendit, ac Ecclesiarum, & locorum huiusmodi statum mutat, prout ipsius Ecclesiis, atque locis conspiciat expedire.

Exordium.

§. 1. Sane considerantes, & infra nostri pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod Cassinensis Ecclesia Ordinis Sancti Benedicti, quam idem confessor almus gratia Benedictus, & nomine praefulgore dignitatis immensa multipliciter illustravit, Mo-

Causa hanc Ecclesiam in Abbatialem reducere.

Monasterium antequam in Cathedrali erigeretur Ecclesiam existeret; & per Abbatem dicti Ordinis regi consueverat, & quod si ad Monasterium reduceretur, & per Abbatem regeretur, ipsi Ecclesia, ejusque juribus, magna proveniret utilitas.

Reductio de qua supra.

§. 2. Super his attenda meditatione intra nos ipsos prehabita, & matura deliberatione, subsecuta, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolice plenitudine potestatis prefatam Ecclesiam ad Monasterium, & Abbatialem dignitatem, & ad illum statum in quo erat tempore quo in Cathedrali erecta fuit, ut prefertur, auctoritate Apostolica reducimus per presentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reductionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 31. Martii 1367. An. V.

Datum apud Montem Pessulanum Magalon. Diocesis secunda Kalendas Aprilis Pontificatus nostri Anno Quinto.

V I.

Ex Regest. Paris. editis etiam Ugolli. Ital. Sac. Tom. I.

Erectio Ecclesie Montis Falisci in Episcopatum, cui Diocesis termini assignantur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CUM illius, cujus perfecta sunt opera, vices licet immeriti geramus in terris, cum pro viribus imitari nos convenit, ut ea, quae ad ipsius laudem, & gloriam pia dispensatione incepimus, ad debita consummationis exitum perducamus.

Causa huius faciende erectionis.

§. 1. Sano dudum considerantes, & intra nostri pectoris claustra sollicita meditatione revolventes, quod dilecti filii Commune Montis Flacon, quae tunc Castrum Balneoren. Diocesis existeret, inter ceteros fideles Italiae ad nos, & Praedecessores nostros Romanos Pontifices ac Romanam Ecclesiam Sponsam nostram semper gesserint, prout gerebant sincere devotionis affectum, & quod eorum fidelitas meruerat, ut eos Sedes Apostolica favoribus, & gratiis prosequeretur opportunis, quodque nos in Castro ipso cum Romana Curia, seu majori parte ipsius tunc residebamus, & propterea ipsorum devotionem multipliciter in Domino commendantes ipsum Castrum volentes Apostolice favoris praesidio confovere, super his attenda meditatione intra nos ipsos, & etiam cum Fratribus nostris diligenti tractatu prehabito, & matura deliberatione subsecuta, de ipsorum Fratrum consilio, & Apostolice plenitudine potestatis ad Divini nominis laudem, & gloriam, exaltationem Ecclesie animarumque profectum, Ecclesiam Beate Margaritae Castri praedicti in Cathedrali erexitur cum dignitatis Episcopalis titulo decorantes, necnon ipsum Castrum Montis Flacon tamquam locum insignem, devotum, aptum, & congruum

Ecclesia Sanctae Margaritae in Cathedrali, & Castrum Montis Flacon in Civitate assignatur.

Civitate, constituimus, ac Civitatis vocabulo insignivimus, eamque Civitatem Montis Flaconis volumus perpetuis futuris temporibus vocari.

Assignatur Capitulum.

§. 2. Verum ut in eadem Ecclesia eo majorum laudationum praconis laudetur omnipotens, quo plurium ad hoc Ministrorum ibidem numerus fuit demonstratus, ac Pastor eidem Cathedrali praesit Ecclesiae, ut ipsius Ecclesiae Ministri congruam sustentationem habeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, & etiam ordinamus, quod in Ecclesia ipsa, sic denuo sint octo Canonici Prebendati Capitulum facientes, quorum unus sit Decanus qui post Episcopum aliis Canonicis, & personis dictae Ecclesiae praesit, quique primum locum, & primam vocem in Choro, & Capitulo, & Ecclesia obtineat, & alius Sacrista, qui campanas pulsare, necnon Vasa Sacra, Jocalia, ac libros, & alia utensilia dictae Ecclesiae fideliter, & reverenter debeat custodire, & secundam vocem in Choro, & Capitulo, ac Ecclesia praedictis habeat. Alii vero Canonici post ipsum Decanum, & Sacristam juxta suarum provisionum ordinem loca, & voces obtineant, & nihilominus Decanum Decanatum, qui dignitatem curatam, & Sacristam in eadem Ecclesia obtinebunt: & insuper quod propter huiusmodi capitulum sint in eadem Ecclesia sex Cappellani perpetui, & quatuor Clerici etiam perpetui, quorum unus sit Diaconus, & alius Subdiaconus, & alii duo Chorarii, seu Ceroferarii nuncupentur, & eidem Ecclesiae in divinis deserviant: quodque idem Decanus, Sacrista, Canonici, & Cappellani sint in Sacerdotio constituti, vel infra annum a tempore, quo Decanatum, Sacristiam, Canoniatum, & praebendas, ac Cappellanas pacifice assequuntur, se faciant ad Sacerdotium promovendi, duoque Canonici, & duo Cappellani in Sacerdotio constituti praefata Ecclesia Montis Flaconen. Ecclesiae Sancti Flaviani prope dictam Civitatem, quae parochialis existit continuo deserviant, ita tamen, quod ad praefatam Ecclesiam Cathedrali in die ejusdem Sanctae Margaritae venire teneantur. Reliqui vero Canonici, & Cappellani continuo in ipsa Cathedrali Ecclesia deserviant alias puniantur, & multentur, prout praefatis Episcopo, & Capitulo videbitur faciendum.

De servitia Ecclesiae Sancti Flaviani impendendo.

Collatio Canoniatum, & Beneficiorum Episcopo assignata.

§. 3. Volumus autem, quod vacante dicto Decanatu electio Decani ad dictos Capitulum, confirmatio vero ad Episcopum, Collatio vero Sacristiae, & Canoniatuum, praebendarum, & Cappellaniarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumcumque Saecularium, & Regularium cum cura, & sine cura tam in ipsa Ecclesia, quam in Civitate, & Diocesi Montis Flaconen. consentientium ad Episcopum Montis Flaconen. cum sui Capituli consilio pertineat.

Reditus Canonici aliis, quae Beneficiis assignantur.

§. 4. Verum memoratus Decanus pro Decanatu suo, & Praebenda sexaginta quinque. Sacrista vero pro sua Sacrista, & Praebenda quinquaginta Florenos annis singulis percipiant, & habebunt. Alii autem residui sex Canonici, videlicet singuli pro singulis praebendis eorum viginti quinque Florenos, & quilibet dictorum Cappellanorum quindecim, & uterque dictorum

rum clericorum quatuor pro dimidio Capellano de bonis dicti Capituli percipient annuatim de oblationibus vero, & aliis distributionibus, quae quotidie praedictas summas poterunt dividi praedicti Decanus, & Sacrista, quod officio Divino praesentes erunt, duplicatam recipiant portionem.

Reditus Episcopos, & Capituli.

§. 5. Ceterum cum de Ecclesiis, & Ecclesiasticis Beneficiis, Castris, Villis, Territoriis, Terris, Possessionibus, juribus, jurisdictionibus spiritualibus, & temporalibus, aliisque redditibus, proventus, terris, possessionibus, & bonis tam Ecclesiasticis, quam aliis, in quibus propria Diocesis Montis Flaconensis deputari, & etiam limitari, & quingenti pro Episcopo, & quadringenti quinquaginta floreni annui pro ejusdem Ecclesiae Capituli portionibus, quas assignare proponimus praedictorum reddituum, proventus territorum, possessionum, & aliorum bonorum assignari poterant, per nonnullos ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, & aliis sufficientes, & fide dignas personas, per quas super his specialiter injunctas mandavimus, plenarie sumus informati: Volentes illud quod tam utiliter incepimus, ad debitum finem perducere, ac per hoc ad limitationem dictae Diocesis Montis Flaconen ad assignationem specialem de huiusmodi redditibus, proventus, terris, possessionibus, & aliis bonis pro huiusmodi dotibus faciendis in Dei nomine procedentes, volumus, & decernimus auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ut castra, loca, & territoria infra scripta, necnon Monasteria Ecclesiae, mansiones, & alia in ea contenta videlicet, Vallem laterem, Gradularum, Griptarum Sancti Laurentii, necnon Bisen, & Capitis Montis, cum eorum territoriis, Castra, & insuper locum Insula Martanae infra lacum de Bolseno consistentia, Martiae, quod etiam prope dictum locum consistit, Cornone, & Fartelluneni Celleni, & Florentini Castra cum eorum territoriis, & tenimentis, & ex Insula Bisentini, quae prope Lacum de Bolseno consistit, & Sanctae Mariae de Sanguinario, Sanctorum Joannis, & Victoris, Castris Araldi, Sanctae Mariae in Capita, & Sanctae Mariae Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Mansiones, Castrorum Urbevetan. Viterbien, Tuscanen, & Balneoregientis Diocesis &c. necnon quicquid de Diocesi Balneoregientis praedicta inter Viterbium, Cellenium, Tuscanellam, & Montem Flaconem, in eorum tenimentis fuit, & esse consuevit, de Diocesi Montis Flaconen. in antea existat, eaque omnia in eadem Diocesi Montis Flaconen. deputamus, & assignamus, ac ipsam Diocesim sic limitatam a dominio, & potestate Venerabilium Fratrum nostrorum Castren, Urbevetan, Viterbien, Tuscanen, & Balneoregient. Episcoporum eximimus, & Episcopo Montis Flaconen. qui est, & pro tempore fuerit diocesano, & ordinario jure subiectum, volentes, & decernentes, ut quicquid praecipiente, majoritatis, superioritatis, jurisdictionis, & exercitii juris spiritualis, & temporalis in eadem Diocesi per nos taliter

Diocesis novo Episcopatu assignata.

limitata praedictis Castren, Urbevetan., Tuscan., & Balneoregient. Episcopis quomodolibet spectabat ad Episcopum Montis Flaconen. pertineat antedictum.

Alia concessa bona, & Beneficia unita Ecclesiae Montis Flaconen.

§. 6. Ceterum unionem, seu annexionem de parochiali Ecclesia Sancti Stephani in praedicta Insula Martana Episcopo Viterbien. pro tempore existenti, & ejus Mensae Episcopali Viterbien. dudum factam tenore praesentium dissolvimus, ac ipsam Ecclesiam Sancti Stephani, & ruralem Prioratum nuncupatum Sancti Benedicti de Paterno, & aliam de Pitigliano Balneoregientis Diocesis Ecclesiam, quae quidem Sancti Benedicti Ecclesia ad praesens per obitum quondam Capiti de Amelia vacare dignoscitur, cum omnibus juribus, & pertinentiis earundem in quibus unque locis existant, Mensae Episcopali Montis Flaconen. annectimus, incorporamus, & unimus per praesentes, ita quod liceat Episcopo Montis Flaconen. pro tempore existenti Ecclesiarum, ac jurium, & pertinentiarum praedictarum, quarum valor centum octoginta florenorum esse dignoscitur, corporalem possessionem apprehendere cujuscuque licentia minime requisita: sic tamen quod in praedicta Parochiali Ecclesia perpetuus Vicarius deserviat in divinis; sicut ante unionis huiusmodi dissolutionem consueverat deservire. Et insuper fructus, redditus, & proventus Abbatiae, seu Monasterii Sancti Petri de Aliano valoris quadraginta florenorum, in qua nullus est Monachus, nec a longis citra temporibus fuit, & quae dudum per felicis recordationis Johannem Papam XXII. praedecessorem nostrum Camera Patrimonii beati Petri in Tuscia unita fuit, qui quidem fructus, redditus, & proventus in terris, vineis, sylvis, pascuis, pratis, & Domibus in districtu, & tenimento Castris Canniti, & Civitatis Tuscanen. positus cum omnibus juribus, & pertinentiis suis consistere dignoscuntur, ac etiam redditus, & proventus, quos Camera nostra in Castro de Bulseno, & in tenimento ejus, ac in loco vocato Burgi ad Seretum, & in loco vocato Quare vallis lacus, qui conditus videtur in Castro de Bulseno in Domibus sitis juxta plateam, & macellum, & in quodam molendino de aqua ad macinandum de la Sontana, & in quodam molendino de aqua ad macinandum Bladum, vocatum molendinum Pratorii positum juxta portam dicti Castris, redditusque dicti Burgi ad Seretum, quorum fructus consistunt in pratis, terris, & campis positus in districtibus, & tenimentis castrorum Bulsena Griptarum, & Sancti Laurentii praedictorum, qui quidem redditus, & emolumenta praemissorum quadraginta septem floren. annuatim valere noscuntur: necnon redditus, & proventus, quos dicta Camera nostra recipit in praedicta Civitate Flaconen. de poderiis vocatis ponderiis Dominae Advenentis, & Ser. Bertoldi, quorum fructus, & redditus consistunt in Domibus Vineis, & campis, ultra quindecim florenos non valent annuatim, necnon quandam domum in dicta Civitate consisten. ad Nos, & dictam Camera pertinet, quae de dicto poderio fore dignoscitur

tur, ac aliqua prata, quæ dicuntur prata Camera, & in quibusdam vineis, fitis in tenimento dicti loci: census qui consistunt in vino, & fœno, & ultra tres florenos annuatim non valent, redditus quoque proventus, & census, qui recipiuntur pro Camera nostra prædicta in Castro Martæ in ejus tenimento, qui consistunt in Domibus, vineis, molendinis, sylvis, pascuis, & pratis excepto tamen passagio, qui redditus, proventus, & census annui septuaginta floren. non excedunt, & quoddam molendinum aptum ad macinandum bladum positum in tenimento dicti Castri Griptarum, quod est Camera prædicta valoris quinque Floren. annuatim: necnon redditus & proventus, quos præfata nostra Camera recepit in Castro, & ejus tenimento Centumcellarum, qui consistunt in pascuis, & glandibus valoris centum quinquaginta florenorum pro dote dicti Episcopi, & mensæ suæ designamus, & etiam deputamus, volentes, & decernentes animalia, quæ in prædictis pascuis Centumcellarum ex parte prædicti Episcopi mittentur pro prædictis pascuis dumtaxat fumendis, possint, & debeant per pascua provincie nostræ Patrimonii Sancti Petri in Tuscia absque solutione herbacii, & etiam alicujus pedaggi, seu Gabellæ ire redire, & libere transire, quoties fuerit oportuim.

Dos Capituli.

§. 7. Et insuper pro hujusmodi dote dd. Capitulis prædictam Ecclesiam Sancti Flaviani, cum Capellis sibi annexis, & dependentibus ab eadem valoris ducentorum florenorum tenore præsentium incorporamus, annectimus, & unimus, ac volumus, & ordinamus, quod Beneficia obtinentes in eadem sint Canonici Cathedralis Ecclesiæ supradictæ, medietatemque fructuum, & reddituum, ac proventuum ruralis ecclesiæ Sanctæ Lucie Paterno d. Balneoregionis Diæcesis, quæ quidem medietas ad censum florenos auri ascendit eidem capitulo tenore præsentium, concedimus Donamus, annectimus, incorporamus, & unimus, ita quod idem Capitulum hujusmodi medietatem dictorum fructuum, reddituum, & proventuum, si ipsa ecclesia Sanctæ Lucie nunc vacat, vel quam primum eam vacare contigerit, autoritate propria libere percipere, & in usus suos convertere possint, cujuscumque licentia minime requisita, prædicta poderia, seu redditus, & emolumenta, quæ dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Lateranensis, & ipsa Ecclesia in territorio dictæ Civitatis Montis Flaconen. percipiunt, & percipere consueverunt, in quibuscumque rebus consistant valoris annuatim quinquaginta florenorum, necnon redditus, & proventus, quos dicta Camera jam in Sancto Savino inter Tuscanellam, & Martam percipere consuevit, quæ valoris annui centum florenorum existunt, pro dote dicti Capituli assignamus, donamus, & etiam deputamus, ac volumus, quod si hujusmodi assignationes, & deputationes nostræ ultra prædictas summas quingent. florenorum auri pro Capitulo supradicti modo, vel alias fuerint reperti, nihil possit

fit ab eisdem Episcopo, & Capitulo de majori valentia peti, seu exigi valeat, quoquo modo, seu deduci, sed totum in ipsorum Capituli, & Episcopi commodum cedat, aut si forte minus reperiantur præmissa valere, nihil petere, vel exigere valeant idem Episcopus, & Capitulum ultra illa non obstantibus quibuscumque litteris nostris super hoc quoruncumque tenorum existant; quas quatenus huic ordinationi nostræ possint esse contrariæ viribus vacuum omnino, & nichilominus decernimus fore firmatis quoad illa contenta in eis in suo robore duraturis.

Robur Decreto huic additum.

§. 8. Has igitur limitationem, uniones, annexiones, incorporaciones, concessiones, donationes, deputationes, & assignationes nostras sic factas, & utiliter ordinatas, perpetuis valituris temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, autoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præminentie, ordinis, aut status qualicumque perfulgeat dignitate hujusmodi limitationem, & alia præmissa per nos, ut præmittitur facta, seu aliqua, vel aliquid de contentis in eis quovis quæsito colore, modo, vel causa, seu occasione generaliter adinventis turbare; seu quomodolibet impedire presumat. Nos enim irritum decernimus, & inane si secus super his a quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ limitationis unionis annexionis incorporationis concessionis, deputationis, assignationis, voluntatis, & constitutionis hujusmodi infringere &c. Datum Viterbii secundo Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Dat. die 31. Augusti 1369. An. VII.

VII.

Decretum quod Oblationes, quæ obveniebant Episcopo Portuen. in Basilica S. Petri, convertantur ab Altarario in beneficium Fabricæ.

Exordium.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

IN charitatis visceribus gerentes Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, sicut filiam præ dilectam, ad ea paternis studiis libenter intendimus, ex quibus ipsius Basilicæ, & ejus statui, honoris & utilitatis proveniat incrementum, & super hoc prout expedire conspiciamus, providemus auxiliis opportunis.

Decretum de quo in rubrica.

§. 1. Dudum siquidem per nos accepto, quod Episcopus Portuen. pro tempore existens in festo Nativitatis Domini, necnon in die Ramis Palmarum, & quinta, & sexta feria, & Sabbato majoris hebdomadæ, ac in festo Resurrectionis Domini; oblationes in eadem Basilica recipere consueverat; Nos ex certis causis ad hoc animum nostrum moventibus dilecto filio Joanni Cambareti, Ordinis Fratrum Minorum Professori, Altarario

GREGORIUS XI.

PAPA CCI.

ANNO DOM. MCCCCLXX.



dictæ Basilicæ mandavimus, ut oblationes ipsas alicui officiali venerabilis Fratris nostri Guidonis Episcopi Portuen. recipere non sineret, sed eas reciperet, & deductis oneribus pro Fabrica dictæ Basilicæ convertere deberet. (a)

§. 2. Volentes igitur eidem Basilicæ subsidium aliquod impertiri auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus; constituimus, & etiam ordinamus, quod idem Guido Episcopus, & successores sui Episcopi Portuen. qui erunt pro tempore nullas unquam oblationes in præfata Ecclesia, recipere, petere, seu exigere possint, ac volumus quod oblationes prædictæ, quæ per dictum Episcopum Portuensensem ibidem recipi consueverant, per Altararium dictæ Basilicæ existentem pro tempore leventur, recipiantur, & etiam exigantur. Consuetudinibus, privilegiis Apostolicis quoruncumque tenorum existant, etiam de illis, & totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis, & expressa mentio faciendæ &c. quæ omnia, & singula in quantum præsentibus obviarent revocamus, cassamus, irritamus, ac nullius esse volumus roboris vel momenti.

Clausula:

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, ordinationis, revocationis, cassationis, irritationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 10. Julii 1370. An. VIII.

Datum apud Montem Flaconem Sexto Idus Julii Pontificatus nostri Anno VIII.

Petrus Rogerii Lemovicensis, Guillelmi Comitis Bellifortis filius, Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis electus est in Romano Pontificem die 30. Decembris anni 1370. qui Gregorius XI. voluit appellari: Consecratur autem Avenione die 5. Januarii sequentis anni. Hic sedit in Pontificatu a die susceptæ consecrationis Annos VII. Menses II. dies XXIII. imperantibus in Oriente Joanne Palæologo, in Occidente Carolo IV. Imp. Obiit Romæ die 27. Martii anno 1378. & sepultus est in Ecclesia B. Mariæ Novæ prope Capitolium. Vacavit Sedes dies XIII.

(a) Oblationes, quæ a fidelibus diebus hac in Constitutione enunciatis super Altare S. Petri ponebantur, ut reciperet, Portuensis Episcopo concessit Joannes XIX. anno 1026. ut in Constitutione a nobis relata Tom. I. pag. 334. ubi quoque ex Cincio Camerario Fragmentum retulimus, in quo hujusmodi oblationes singillatim recensentur.